



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 13. S. Patritius in Hibernia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. sunt, Gratia ejus cooperamur, & si te-  
 A.C. 431. por irrepit, infirmitatis nostræ effectus  
 c. 13. confestim ad eum recurrimus. Quan-  
 tum attinet ad quæstiones profundas, &  
 difficiliore, ab iis fuse tractatas, qui Hæ-  
 reticos oppugnarunt, non eas contem-  
 nendas existimamus, sed opus non est,  
 ut de iis agamus. Satis est nobis, ape-  
 ruisse, quid de Fide Catholica esse cre-  
 damus.

## §. XIII.

*S. Patritius in Hibernia.*

*Sup. XXV. §. 15.* Sanctus Cœlestinus Papa comperto obi-  
*Bolland. 17. §. 15.* tu S. Palladii, quem in Scotiam mise-  
*Mart. to. 7. §. 7.* rat, eidem S. Patritium substituit, ordina-  
*p. 522. §. 7.* vit Episcopum, & in Irlandiam misit, ut  
 ibi Fidem prædicaret. Tunc temporis  
 S. Patritius annum ætatis agebat circiter  
 quinquagesimum quintum, in Scotia in  
 territorio civitatis Acludensis, quam ho-  
 die Dumbrittonensem vocant, circa ann.  
 377. natus. Cum esset sexdecim anno-  
 rum, captivus in Hiberniam abductus,  
 ibique quinque vel sex annos versatus, il-  
 lius populi mores, & linguam didicit.  
 Circa annum deinde 400, a Piratis in Gal-  
 liam devectus, Monasterium S. Martini  
 adiit, acceptaque tonsura Monastica, tres  
 annos ibi moratus est. In magnam Bri-  
 tanniam reversus, indeque in Italiam na-  
 vigans, septem annos illius Regionis, &  
 vici-



vicinarum Insularum Monasteria visitando transegit. Presbyter ordinatus, tres annos cum Sancto Seniore, quem Episcopum Pisanum fuisse credunt, permansit. Interim Divinitus sibi imperatum credit, ut convertendis Hibernis adlaboraret. Illuc delatus nihil egit, Barbaris prædicantem audire nolentibus. Ergo in Galliam rediit, & annis septem apud S. Germanum Antissiodorensis expletis, in Insulam Arelatensem, id est, Lerinensem se contulit, ibique novem annos perseveravit.

Tunc, suadente S. Germano, Romam perrexit, atque S. Cœlestinus Papa Episcopum ordinatum circa annum 432. misit in Irlandiam. Jam vero Prædicationis suæ uberrimos fructus tulit, zelum ejus fulcientibus miraculis. Hinc tanquam illius Insulæ Apostolus colitur. Uno ferme, postquam advenisset, anno, Monasterium Sabaliense prope Civitatem Dunensem fundavit, & S. Dunnium, Discipulum suum, Abbatem constituit. Ipse quoque Ecclesiæ Armacanæ, totius Regionis Metropolis, fundator est. S. Patritius vitam ducebat admodum rigidam, omnia sua itinera usque ad annum ætatis quinquagesimum primum, id est, usque ad susceptum Episcopatum, pedes confecit; exinde deterrimæ in Irlandia viæ coegerunt, ut vehiculo uteretur.



Sæculum V.  
A. C. 432.  
Idem ipse apud Hibernos litterarum usum  
invexit; antea nulla ibi monumenta pu-  
blica, nisi versus leonini ab illius gentis  
Poetis, quos Bardes appellabant, compo-  
siti; his Patriæ Historia referebatur. S.  
Patricius bis præterea Romam iter susce-  
pit, nempe anno 444. & 455. & circa an-  
num 460. annos vitæ numerans octogin-  
ta tres, vivere desit.

## §. XIV.

*S. Cælestini Epistolæ Constantinopoli-  
tim datæ.*

Sanctus Cælestinus Papa, acceptis in Na-  
talitiis Domini an. 431. epistolis, qui-  
bus Nestori damnatio, & Maximiani Ele-  
ctio in Episcopum Constantinopolitanum  
nuntiabantur, eas in Ecclesia S. Petri re-  
citari iussit, ut confirmaretur fides de  
Incarnatione, quod Mysterium illis festis  
commemoratur. Hanc lectionem uni-  
versi populi plausus exceperunt. Papa  
deinde quatuor scripsit responsorias ea-  
dem die, Idibus Martii, Aetio, & Vale-  
rio Consulibus, nempe decima quinta  
Martii, anno 432. datas. Prima ad Con-  
cilium Ephesinum, scilicet ad Episcopos,  
qui interfuerant, dirigitur, sextus quippe  
mensis effluxerat, ex quo Concilium so-  
lutum fuerat. Papa Patribus gratulatur  
victoriam de Hæresi, Nestorii Depositionem,  
& ordinationem Maximiani, quem  
summo-

tom. 3. Conc. Eph. p. 1069.  
p. 3. l. 20.